

& personis de illo benemeritis concessa hujusmodi, quatenus sint in ipsa approbamus, & innovamus, ac presentis scripti patrocinio communimus, & eidem Ordini B. Mariæ, & ejus fratribus, locis, & benefactoribus illa de novo concedimus.

*Si mandati- riam Ordini privilegia su- peraddis.*

§. 11. Necnon omnia, & singula gratias, privilegia, & indulta dictis Mendicantibus Ordinibus, & eorum personis & locis per Sedem prædictam concessa concedimus. Et volumus, quod dicta relaxatio penarum Purgatorii animabus defunctorum, pro quibus dicti duo floreni erogantur, per Nicolaum prædecessorem, ut præfertur, concessa, eisdem animabus, aliis juxta ipsius Nicolai prædecessoris literas qualificatis, etiam pro quarum singulis non nisi unum florenum simile ad dictæ Redemptionis opus erogari contigerit, suffragentur.

*Necnon in- dulgencias visitationum Ecclesiarum Prædictarum.*

§. 12. Et statuimus insuper, & ordinamus, quod dicti Ordinis B. Mariæ fratres, quadragesimalibus, & aliis anni temporibus & diebus, quibus nonnullæ Urbis, & extra illius muros consistentes Ecclesiæ pro stationibus consequendis à Christi fidelibus visitantur, unum, vel duo altaria in Ecclesiis domorum dicti Ordinis B. Mariæ sita devotè visitando, omnes, & singulas indulgentias, & peccatorum remissiones consequantur, quas consequerentur, si singulas Urbis, & extra ejus muros existentes Ecclesiæ prædictas personaliter visitarent. Et sint participes omnium, & singulorum sacrificiorum, jejuniorum, peregrinationum, etiam ultra mare, & aliorum operum, quæ nunc, & pro tempore in sacrosancta universali Ecclesia, & omnibus ejus membris fient.

*Indulgencia pro utroque sexu Christi fidelium, qui 30 denarios ad opus Redemptionis erogaverint.*

§. 13. Et quod singuli utriusque sexus Christi fideles in Civitatibus, & diocesis, in quibus dicti Ordinis B. Mariæ aliqua domus constitit, viro, & uxore pro una persona computatis, qui ejusdem Ordinis fratribus ad hoc pro tempore deputatis singulos triginta denarios monetæ ibidem cursum habentis, seu eorum valorem pro Redemptione hujusmodi erogaverint, ultra alias gratias, & indulta benefactoribus ipsius Ordinis B. Mariæ dicta autoritate Apostolica concessa, quoad vixerint, semel in vita, & in mortis articulo plenariam omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint, indulgentiam, & remissionem consequantur.

*Pecunia ad opus redemptio- nis oblata, qua racione committitur de- betur.*

§. 14. Et quævis pecuniarum summa, aut res aliqua pro Redemptione alicujus personæ specificè pro tempore oblata, & per dictos fratres Ordinis B. Mariæ accepta, in Redemptionem ejusdem personæ, alia verò elemosinæ, & pia suffragia à Christi fidelibus pro Redemptione captivorum in genere pro tempore erogata, & proventuum partes, quæ à singulis dicti Ordinis B. Mariæ domibus, seu earum Præceptoribus ad Redemptionem eandem assignantur, in ipsum Redemptionis opus dumtaxat exponi fideliter debeant, & in nulla alia pietatis opera valeant commutari. Eaque omnia in arcam ad hoc per dictum generalem Magistrum specialiter deputandam, & sub quatuor clavibus apud quatuor ex primoribus ejusdem Ordinis B. Mariæ fratribus deponendis, ad custodiam congerantur, ac conserventur.

*Generalis ut de Prædictis pecuniis possit disponere.*

§. 15. Licet autem dicto Generali Magistro, qui pro tempore fuerit, de tertia solum parte pecuniarum & rerum pro Redemptione hujusmodi in genere congestarum, in suarum, & ipsius Ordinis B. Mariæ domorum pauperum, & eorum qui in hoc sancto opere versabuntur, & se exercebunt, ingruentium pro tempore necessitatum subsidium disponere.

*Pontifex sub- munitur circa hujusmodi legem & statu- tibus declarat.*

§. 16. Declaramus etiam scientia, & Apostolica auctoritate similibus, quæcumque ad Redemptionem hujusmodi pro tempore legata, relicta, & donata, sub quibusvis rerum ad pias causas relictarum, vel donatarum applicationibus, etiam in favorem fabricæ Principis Apostolorum de Urbe, vel subsidium expeditionis contra Infideles, etiam in specie de bonis ad eandem Redemptionem pertinentibus, per nos, & Sedem prædictam factis, & faciendis nequaquam comprehendi, sed esse ab illis perpetuis futuris temporibus prorsus excepta.

*Prædictis d. Ordinis frater*

§. 17. Demum dictis fratribus Ordinis B. Mariæ, &

Commissariis ab eis super negotio Redemptionis hujusmodi pro tempore deputatis indulgentias, & peccatorum remissiones, ceteraque privilegia & indulta ipsius, & alii Christi fidelibus, eorumque suffragia ad præmissa exhibentibus pro tempore concessa, ubi, quando & quoties eis opportunum videbitur, per se, vel alium, seu alios in Ecclesiis, & aliis locis, etiam solemniter publicandi, & publicè faciendi plenam, & liberam licentiam largimur.

§. 18. Præcipimus tamen dictis universis, & singulis venerabilibus fratribus, videlicet Archiepiscopis, Episcopis, & aliis quorum ordinibus in virtute hujusmodi oblationis, & sub indultis, & aliis hujusmodi sententiarum, & ipsi factis, quibus non conveniant, & in contrarium de dicti Ordinis B. Mariæ fratribus, & locis, & ab eis etiam ad prædicta, & publicè faciendi hujusmodi opus pro tempore deputatis, & aliis de quibus supra per præmissa directè, vel indirectè quovis modo colore impediatis, inquietatis, vel periculis.


§. 19. Nec ab eis ratione singularium literarum, quæ ipsi pro publicationibus hujusmodi in eorum Ecclesiis, civitatibus, & diocesis, seu districtibus commodè faciendis concedere solent, ultra quinque florenos similes pro eis, eorumque secretariis, & notariis, & aliis ministris accipiant.

§. 20. Decernentes presentes literas quibusvis revocationibus, suspensionibus, aut aliis contrariis dispositionibus, per nos, & Sedem eandem pro tempore factis nullatenus subjacere: Non obstantibus Apostolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, ac omnibus illis, quæ Nicolaus, Sixtus, & Julius prædecessores prædicti in singulis suis literis prædictis voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 21. Ceterum quia difficile foret presentes literas ad singula quæque loca, ubi earum usus ad præmissa necessarius foret, originaliter posse transferri, volumus & eadem Apostolica auctoritate etiam decernimus, quod ipsarum præsentium transumpto publici Notarii subscriptione, & alicujus Curie Ecclesiasticæ, vel personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigilli impressione munito ea ubique fides adhibeatur indubia, quæ præsentibus adhiberetur, ubicumque essent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 22. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, approbationis, innovationis, communicationis, concessionis, declarationis, voluntatis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Domini 1516. quinto Calend. Aug. Pontificatus nostri anno 4.



CONST. X. CLEMENTIS VII.

Confirmat Pontifex omnes gratias Ordini B. Mariæ de Mercede Redemptionis captivorum à Prædecessoribus suis concessas, ac plura alia Magistro Generali prædicti Ordinis de novo concedit. Præcipitque Notariis, & executoribus testamentorum, quatenus quilibet eorum respectivè copiam de relictis pro hujusmodi Redemptione exhibere, & summam cum effectu solvere dicto Ordini teneatur. Quodque publicatio Indulgentiarum fieri possit etiam in locis, in quibus nulla Domus prædicti Ordinis existit.

CLEMENS

CLEMENS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exponit nobis nuper fecisti, quod dudum fel. rec. Bonifacius Octavus, Alexander Quartus, Clemens quartus, Gregorius Undecimus, Martinus Quintus, Eugenius quartus, Calixtus tertius, & Leo Decimus Romani Pontifices predecessores nostri multa privilegia, & indulgentias Ordini, & Religioni Beate Marie de Mercede Redemptionis Captivorum pro redimendis pauperibus Christi fidelibus de manibus infidelium & Tartarorum concesserunt. Et sicut eadem expositio subiungebat, licet nos pro pio dicto opere exercendo privilegia, & Indulgentias huiusmodi confirmaverimus, tamen quia multi Christi fideles dictas indulgentias se consequi posse dubitant, cum vinculo excommunicationis se innodatos, & forte se reos esse committunt, atque ex eo quod summa trium solidorum & triginta denariorum à Christi fidelibus pro consequenda indulgentia persolvendorum, ab aliquibus personis videtur gravis, dicta Religio effectum indulgentiarum prædictarum integrè consequi non valet. Quare nobis humiliter supplicari fecisti, ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 1. Nos igitur, qui ad ea, quæ animarum cupidorum Christi fidelium, salutem procurantur, & pauperibus captivis subvenire possunt libenter inclinamus, huiusmodi supplicationibus inclinati, Tibi & pro tempore existenti Magistro Generali dicti Ordinis, quod tu, & ipse, ac per vos pro tempore deputandi, omnes & singulos Christi fideles, ad effectum gratiarum prædictarum consequendum, à quocumque vinculo excommunicationis absolvere: Et quidquid tu, & pro tempore existens ipse, Ordinis Generalis Magister, tam triginta denariorum & trium solidorum, quam alias quascumque taxas, & pecunias pro consequendis indulgentiis, & peccatorum remissionibus, tam pro vivis, quam pro defunctis, & aliis gratis, ut præferatur, vel aliàs designatas, & impositas, quoties vobis placuerit, & prout vobis videbitur, moderati, & minuire liberè, & licitè possitis, & valeatis, auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

§. 2. Necnon quod relaxatio pœnarum Purgatorii animabus defunctorum concessa, huiusmodi animæ, pro qua summa per te, & pro tempore existentem dicti Ordinis Magistrum Generalem taxanda, huiusmodi solvi contingat, etiam si ex parentibus, vel consanguineis solvens huiusmodi non existat, suffragetur, ipsaque anima relaxationem eandem consequatur.

§. 3. Et quod quilibet ex viris, sive mulieribus, qui taxam ad hoc per te, & pro tempore existentem Magistrum Generalem huiusmodi taxandam persolverit, omnibus, & singulis indulgentiis, concessionibus, & gratiis confratribus, & benefactoribus, ac aliis huiusmodi personis, & prædecessores nostros concessis uti possit.

§. 4. Nullusque secularis, vel cuiusvis, etiam prædicti Ordinis Regularis, absque expressa licentia Magistri Generalis pro tempore existentis dicti Ordinis in scriptis tradita, indulgentias dictæ Religioni concessas, & pro tempore concedendas prædicare, ac legata, elemosynas, seu quævis pro redemptione Captivorum petere, aut capere possit, & qui contra fecerit, censuras ac pœnas per Calixtum & alios Romanos Pontifices prædictos in talia usurpantes iniunctas incurrat.

§. 5. Et quilibet Notarius de relictis pro Redemptione Captivorum huiusmodi instrumentis, de quibus rogatus fuerit contentis, intra duos menses à die rogationis, aut obitus testatoris huiusmodi computandos, de omnibus & singulis pro Redemptione Captivorum huiusmodi instrumentis quomodolibet contentis tibi, & pro tempore existenti dicti Ordinis Magistro Generali, vel alicui ex vestris commissariis, si illius copiam habere poterit; alioquin uni ex fratribus dicti Ordinis, etiam si opus fuerit, nuntium ad ipsum Generalem mittere (expensis tamen ipsius Generalis, aut ex relictis huiusmodi deducendis) destinando, dare, & manifestare sub excommunicationis sententia debeant, & censeantur.

§. 6. Executores testamentorum quorumcumque re-

licta pro Redemptione Captivorum huiusmodi infra annum à die ipsorum testatorum obitus computandum, legata sub huiusmodi Magistro Generali dicti Ordinis realiter, & cum effectu solvere debeant, & teneantur.

§. 7. Quodque publicatio indulgentiarum, & aliorum præmissorum, etiam in locis, in quibus nulla domus dicti Ord. B. Marie de Mercede existat, fieri possit.

§. 8. Necnon præmissa sub quibusvis revocationibus, etiam in favorem fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & Cruciate, ac Fidei, etiam motu proprio, & certa scientia, ac de Apostolica potestate plenitudine, & consistorialiter, & cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacissimis, & insolitis clausulis à Sede Apostolica quomodolibet, etiam pluries emanatis, & emanandis, nullatenus comprehendi possint. Sicque per quoscumque tam ordinarios, quam delegatos, & mixta auctoritate fungentes Iudices, & personas ubique judicari, & cognosci, atque decidi debere, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & cognoscendi, atque decidendi facultate: irritum, & inane quidquid secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

§. 9. Et nihilominus dilectis filiis Valentinis, & Cesarauugustanis, ac Barchinensibus officialibus per præfatos committimus, & mandamus, quatenus ipsi vel duo vel unus eorum per se, vel alium, seu alios tibi, & pro tempore existenti Magistro Generali dicti Ordinis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant præfatas literas, & in eis contenta quacumque plenum effectum sortiri, non permittentes vos desuper quomodolibet molestari, impediri, aut inquietari. Contradictores quoslibet & rebelles, etiam per quascumque, de quibus eis placuerit, censuras & pœnas, atque alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, censuras & pœnas ipsas iteratis vicibus aggravando, invocato etiã ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstant, præmissis, ac fel. rec. Bonif. Papæ VIII. prædecessoris nostri de una, & in Concilio Generali de duabus dietis habita, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur, & aliis Apostolicis, ac Provincialibus, & synodalibus constitutionibus, & ordinationibus, necnon quibuscumque in contrarium forsan editis, statutis, & consuetudinibus, ac fundatione, etiam juramento, confirmatione, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apost. quibusvis personis forsan concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idè importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, atque aliqua alia exquisita forma servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum infererentur præsentibus pro plene & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. Romæ apud S. Pet. sub annulo Piscatoris, die 24. Julii, anno 1529. Pont. nostri anno 6.

CONST. XI. SIXTUS V.

Concedit Pontifex fratribus Ordinis B. Marie de Mercede Redemptionis Captivorum antea apud Ecclesiam sanctæ Rufinæ Transtiberim commorantibus, Ecclesiam sancti Hadriani de Urbe in Foro Boario.

SIXTUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Um ex omnibus Christianæ charitatis officiis, quibus æterna salus per gratiam Dei comparatur, illa Redemptori nostro Jesu Christo vel maxime placere credamus, per quæ infelices Captivi à terra impiorum servitute revocantur.

§. 1. Primus.